

*Viola mirabilis* L. p.  
palmensis Webb. p.  
rothomagensis Desf. a.  
*Xanthium indicum* Wall. a.  
*Strumarium* L. a.

*Xeranthemum cylindraceum* Sm. omn. a.  
inapertum W.  
*Ximenesia encelioides* Cav. a.  
*Zephyranthes tubispatha* Herb. p. c.  
*Zea Mays* L. v. minima. omn. a.

*Zea Mays* L. v. nana.

- rostrata.

*Zinnia elegans* Jacq. omn. a.  
multiflora L.  
tenuiflora Jacq.

## A D N O T A T I O N E S.

1. *Amygdalum campestre* quam per plures annos hoc sub nomine Besseriano distribuimus, nunc aliam credimus veramque recognovimus in frutice elatiore, albiflora, paucos fructus nec satis perfectos semel producente. Examine nostro de hisce Amygdalis nondum finito, quodnam nomen Amygdalo illi falsae campestri affigendum sit, nescimus.
2. *Commelina Sellowii* sub nomine in hortis reperta nullo modo est *C. Sellowiana* Kunthii. Caulis prostratus, glaber, longe procurrentes, ad nodos radiculas agit. Vaginae pubescentes per petiolum brevem in laminam ovatam, curvilineo-acutatam, minute puberulam transeunt. Spatha pedunculo brevi pubescenti insidens, complicata, subtriangularis, ramo florifero altero erecto exerto pubescente c. flore unico masculo s. rarissime hermaphrodito et fertili, pedicello brevi inserto; ramo altero inclusō 2—3-floro. Petala intense coerula, impar lanceolatum acutum, duo paris ex ungue brevi semiorbiculari-reniformia. Stamina duo inter se aequalia patentia fertilia, tertium impar magis erectum, corpore antheroideo deorsum bicruri, tria reliqua sterilia corporibus antheroideis crucis obliquae speciem praehentibus. Stylus subulatus, apice vix curvulus. — Patria ignota. In caldario laete viget, flores et fructus profert, sed sub dio culta late quidem se extendit at parce floret nec fructus maturavit.
3. *Sonchus Capensis*. Speciem e repetita cultura distinctam habemus. Habitu quidem et modo crescendi cum *S. longifolio* convenit, recedit autem; statura robustiore, foliorum dentibus acutioribus, profundioribus c. apice spinula validiore terminatis, auriculis majoribus et fere conchae in modum volutis, capitulis minoribus, pedunculis squamisque ecarinatis haud setosis, corollis angustioribus brevioribus. (Cf. Ind. sem. h. Hal. a. 1849.)
4. *Sonchus hypochaeroides* (v. Ind. sem. h. Hal. a. 1849). Herba vix pedalis, a basi parce subdichotome ramosa, glauca, glabra, caule ramisque teretibus. Folia semiamplexicaulia, non auriculata, angusta, summa linearia, utrinque 1—3-sinuato-dentata; capitula terminalia solitaria; involucrum sub grossificatione e basi leviter in-
- crassata pyramidalis-conicum; squamae valde inaequales angustae, margine supero plus minus ciliolatae, in quarum dorso setulae muricesve albae et purpureae in primis carinam occupant, similesque pedunculum. Ligulæ angustae luteae, exteriore subtus purpureae. A vulgarioribus hujus generis formis distat.
5. *Turnera angustifolia* a Candollio aliisque *T. ulmifoliae*, plantae biennis, varietas dicta, propria videtur species caule fruticoso jam satis distincta. Frutex ramis teretibus cicatriculis foliorum semirostris prominentibus exasperatis, erectis, pilis albidis obssessis. Folia breviter petiolata, oblongo-lanceolata, grosse et inaequaliter serrata, utrinque pilis simplicibus, subtus copiosioribus tactu mollia, basi breviter integerrima ibidemque glandulis 2 suboppositis viridis laevibus instructa. Flores axillares sessiles. Petala tota lutea obovato-cuneata in margine obtusissimo acute eroso-denticulata v. subintegerrima. Stamina stylis cum stigmatibus longe penicillatis paululum longiora. Capsula ovoidea glabra.
6. *Verbena Carolina*. Quo nomine Linnaeano sed minus apte plantam interea designamus, quam falso *V. elegantis* sub titulo ex horto accepimus. Beatus Schauer *V. Carolinae* Linnaei (quam cum aliis *V. Carolinianam* adpellavit) Mexico patriam adscribit, quatuor species Kunthianas synonyma subjunxit, novam speciem Mexicanam *V. Ehrenbergianam* format, quam in alia sectione generis collocat. Monendum vero plautam botanicorum Americae borealis plane diversam esse a Mexicanis, de qua re alio loco fusius agendum est.
7. *Viola palmensis* Webb. in Geogr. Bot. ins. Canar., *Mnemion palmense* id. ins. Can. Bot. p. 112. t. 14. Flores plantæ hortensis cum corolla l. c. sub f. 5. seorsim depicta melius convenient, quam cum illis in specimine depicto. Hiemem 1849—50 nive tecta haec in montibus 1000 hexap. altis crescents planta optime sub diu superavit totumque per annum flores copiosos produxit, qui exente aestate pallidiores et striis irregularibus albis variegati apparuerunt,